DE EXISTENTIA ET PERFECTIONIBUS D. O. M. DISSERTATIO, QUAM IN COLLEGIO NOBILIUM REGIO...

Paolo Premoli





DE EXISTENTIA
ET
PERFECTIONIBUS
D. O. M.
DISSERTATIO,

QUAM

IN COLLEGIO NOBILIUM

REGIO IMPERATORIO LONGONO

Sub directione

CLERICORUM REGULARIUM

Congregationis D. PAULLI

Una cum aliis

LOGICO-METAPHYSICIS CONCLUSIONIBUS


COMES PAULLUS PREMOLI

CREMENSIS

Publico Examini More Academico exponebat:

MEDIOLANI)(MDCCLIV.

Apud Federicum Agnellum.
Superiorum permissu.



DISSERTATIO.



STudiorum nostrorum rationem aliquam primo inclinante Philosophici curriculi anno, & jam fere Logicis, & Metaphysicis institutionibus absolutis, pro muneris nostri parte, & consuetudine reddituri, illud ex universa Logico-Metaphysica, in quo pertractando fusius, atque expressius versaremur, præ aliis omnibus, caput selegimus, quod de existentia, & perfectionibus Dei Optimi, & Maximi inscribitur. Gravissimum procul dubio argu-

mentum, & in quo immorari Philoſophum ætate hac noſtra potiſſimum, atque his temporibus deceat, in quibus non ſine magna veritatis, & morum labe cavillatiunculas neſcio quas circa Dei providentiam, ſpiritualitatem, libertatemque proſeminant captioſi homines, qui vere Athei quum non ſint, cœca, & nefaria irreligionis oſtentandæ ducti libidine Athei videri volunt: Neque enim apud Mahumedanos ſolummodo, qui Muſerini (*a*) appellantur, & in Jappone, atque in Sinis (*b*) hæreſeos illius aſſeclæ, quam Foekiao dicunt, ſed in noſtræ etiam Europæ ſinu Materialiſtæ, ens illud primum, & ſummum, quo aliud melius nec eſſe, nec etiam percipi a nobis poteſt, cum extenſione, & corporibus, creatorum entium viliſſimis, promiſcere, & confundere auſi ſunt. At quæ in meridie clariſſimo, & lucidiſſimo tenebræ offundi po-

(a) *Ricaut de l' Emp. Ottom. liv. 2. chap. 12.*

(b) *Bernierius de rebus indicis p. 202., & ſequ. edit. Batavæ Bibl. Univ. to. 7. p. 403., 404. Acta Erud. Lipſ. an. 1688., p. 258.*

poterunt? Quorſum minuſculæ Bælii, Spinozæ, Tolandi, Hobbeſii, Cowardi, Cuentzii, & aliorum ejuſdem furfuris teterrimorum hominum gerræ? Plane is fungum pro capite habeat oportet, qui ad pulcherrimam, ordinatiſſimamque hanc rerum materialium compagem ſe ſe convertens ictu oculi citius non aſſurgat, & manu quaſi ducatur ad cognitionem principii illius longe materia nobilioris, perfectioriſque, æterni, omniſcii, liberi, providentiſſimi, quod Deus dicitur.

Conſenſit hacce in re veterum Philoſophorum non melior tantum, ſed potior etiam pars: Anaxagoram enim, Protagoram, Diodorum, Evehemerum, alioſque non alia ratione Atheos vocatos a Græcis fuiſſe contendit Clemens Alexandrinus, quam quia dumtaxat unicum ſupremum Deum venerantes popularia numina aſpernarentur. Conſentiunt recentiores pauciſſimis, iiſque itidem perditiſſimis oretenus reclamantibus, quorum numerum imperite nimis augere acceſſito Atheis Leone Decimo Pontifice

Maximo Petrus Bælius (*a*) conatus est: Imprudentissimam enim simul, impudentissimamque hanc fuisse Heterodoxorum quorumdam calumniam, Lutheri (*b*), Seckendorfii (*c*), & Heideggeri (*d*), qui Leonem umquam nec viderant, nec agnoverant, ipse etiam Bælius non diffitetur in suo Dictionario Historico, notis ad Leonis titulum additis, ubi apertissime se retractat. Consentiunt denique mirum in modum omnes cujuscumque indolis, & regionis populi, cultissimi æque, & incultiores, ac prorsus barbari: Si quæ enim nationes videri possunt nullam supremæ, & necessariæ caussæ notitiam præseferre, eæ nec tot sunt, quot ab aliis fuit jactitatum, & quum bardæ prorsus, ac stupidæ cogitandi vim omnem pravæ educationis vitio prope amiserint, potius ad connexionem

crea-

(a) *Cont. de pens div. sur la Comete, ou reponse &c.* § 18.
(b) *Comment in cap. 19. Gen. v. 13. fol. 132.*
(c) *Hist. Luth. lib. 3. p 676 col. 1.*
(d) *Hist. Papat. p. 272., 273.*

creatarum rerum cum Deo minime attendere, quam inficiari Deum censendæ sunt.

Et plane in integro continenti nostro, quod Asia, Africa, & Europa complectitur, quodque ex Septemtrionali etiam freti Kamschatka, & Siberiæ parte Oceano allui Russorum observationibus compertum est, nullæ gentes hujusmodi deprehenduntur, & mirari subit Joannem Lockium (*a*) hominem certe ingeniosum, nec ineruditum Louberii (*b*) authoritate Siamenses Atheis recensuisse, quos a Sinensibus religionem habuisse acceptam, & religionis vestigia habere undique itinerariis omnibus, & itineratoribus docemur. Cafros, & Hottentotos Promontorii bonæ spei incolas, quos primi viatores religionis extorres esse evulgaverant, supremam caussam agnoscere longiori hominum illorum societate, &

(a) *Essai sur l'ent. hum liv. 1. chap. 3. §. 8.*

(b) *Du Roy. de Siam. to. 1. par. 2 chap. 9 sect. 15., & par. 3. chap. 20. sect. 4, & chap. 20. sect. 22.*

domicilio didicit Andreas Kolbi (*a*). Duo ipsi principia, & Deos admittunt bonum, & beneficum unum, quem Gounya Ticquoal apellant, & malum alterum, quem dicunt Touquana: Quumque illum primum, utpote per se bonum cultu aliquo sibi propitium reddere supervacaneum esse existiment, malum sibi quam fieri potest benemereri externis honoribus curant maxime. Vide de his Lambertum tomo decimotertio Historiæ universalis capite primo. Circa alios interioris Africæ populos, qui noti sunt, reliquosque Asiæ, & Europæ incolas, Tartaros etiam, Samojedas, & Lappones ne ullum quidem apud itineratores omnes est dubium. Valet id ipsum de insulis continenti eidem nostro adjacentibus, ubi Marianas, & Carolinas tantum excipias. In iis enim, quam primum detectæ sunt nec idola, nec templa, nec sacerdotes, nec alia quæpiam religionis vestigia inventa sunt.

Quod si ad alteram continentem terram,

(a) *Kolbi descrip. capitis bonæ spei.*

ram, quæ Americæ a Veſpuccio nomen obtinuit nos conferentes in Meridionali ipſius parte figamus oculos, ubicumque notitiam Dei, cultumque aliquem obtinere deprehendemus. Excipit Lambertus Provinciam Chiquitarum, & populos, quos Chiriguanes, & Marocotas vocitant. De Paraguariis hæc habet verba Nicolaus del Techo in triplici relatione de rebus indicis Caaiguarum. *Reperi eam gentem nullum nomen habere, quod Deum, & hominis animam ſignificet, nulla ſacra habet, nulla idola*. At ex quo natio aliqua proprium vocabulum minime habeat, quo Deum exprimat, minus recte videtur colligi, divinitatis notitiam omnino nullam illi affulgere. Plane aliquam Dei notitiam Virginiæ populos habere ex itineratoribus omnibus, ut inferius attingemus, conſtat: Apud eos tamen nullum vocabulum, quod apte Deum exprimeret, inventum eſſe, conſtat ex Virginiana Bibliæ ſacræ verſione, quam anno 1663. characteribus noſtris Cantabrigiæ edidit Joannes Eliot, & in qua,

cæ-

cæteris omnibus Americane redditis, *Dei* nomini ubique respondet hoc nomen *God*, quod Anglice Deum significat. Primus versiculus ex. gr., *in principio creavit Deus cœlum*, *&* *terram* &c., sic vertitur: *Weske Kutchissik ayum God Kesuk Kah Ohke*, &c. Bibliæ titulus est, *Mamussé Wunneetupanatamwe Up-Biblum God Naneeswe Nukkone testament Kah Wonk Wusku testament*, & exemplar ejus habetur in amplissima Biblioteca Comitis Caroli Pertulati, viri æquitate, eruditione, sapientia, celeberrimi, & de litteraria simul, ac civili Republica optime meriti.

Sed modo e diverticulo in viam. In eumdem Atheorum censum sylvestres Brasilienses collocat, capite decimo sexto, Dominus De Lery: Sed, ut observat Martinierius, minus recte. En verba ipsa Martinierii. *Mais on ne peut pas dire qu' ils n' ont absolument point d' idée de la Divinité; car ils levent souvent leurs mains vers le Soleil, & la Lune en signe d' admiration, & s' écriant a pleusieurs re-*

pri-

prises Teh Teh. C'est comme s'ils disoient voilá qui est admirable. Cæteri omnes divinitatis notionem aliquam, & cultum habent. Amazonii sua habent idola. Manacicæ tres Deos colunt, quos vocant communi nomine Tinimaacas, & alios insuper Deos minores. Moxi, ut ut nulla futuræ vitæ spe gaudeant, Soli, Lunæ, & Syderibus honorem exhibent. Chilinenles & ipsi Dæmonem venerantur, quem Eponamon, sive omnipotentem apellant, quemque ante gerenda bella, & res alias graviores consulunt. Peruviani antequam sub Incarum dominio viverent innumerabiles Deos adorabant, herbas, plantas, animalia, metalla, montes, specus &c. Peculiares Provinciæ, Urbes, familiæ, peculiares etiam habebant Deos. Mango Capac, summus ille Imperii hujus legislator, quum Solis filium sese dixisset, Solem supremum Deum esse docuit. Id apud alios novæ Granatæ populos, apud Cumanenses, Panamenses &c. obtinuit: Quamvis egregie adnotet Lambertus rudioris dumtaxat vulgi hunc

cul-

cultum esse, aliis omnibus perspicacioris ingenii hominibus primum materiæ motorem aliquem, & mundi animam agnoscentibus.

Ad Americæ Septemtrionalem partem quod attinet, Mexicani supremum Deum adorabant, cœli, & terræ creatorem, rerumque omnium supremum Dominum, cui Vitzliputzli nomen dabant, & alios genios mundi administratores. Confusissimas Divinitatis notiones habent Canadenses: Nihilominus Solem creatorem veluti, & conservatorem summum venerantur. Missipenses & ipsi habent tutelares Deos, quibus in suis saltationibus honorem præstant. Qui ad dexteram fluminis Sancti Laurentii partem manent sylvestres homines, Natches dicti, specialem cultum Soli quum dent, plura alia habent idola. Virginienses præter Solem colunt etiam aliud idolum, Kiwasa nomine, quod consulunt, & cui templum, sacerdotes, & festa, ac ceremonias instituunt. Solis, & Lunæ cultus Floridensibus, Caribis, aliisque adjacentium

tium

tium insularum populis est communis: Quid plura? Ubi minores quaslibet amplissimæ hujus regionis insulas, & provincias contemplemur, videbimus cognitionem Dei optimi, & maximi longe, lateque affulgere, nec nisi apud populos quosdam efferatiores barbaris moribus veriùs depravatam, quam prorsus deletam esse.

Quare quum perpaucorum feritas, & ignorantia cæterorum hominum judicio officere nequaquam possit, nec res ex furiosorum sententia, sed meliorum, & plurium sensu sint judicandæ, locum adhuc, & vim habebit argumentum illud, quod ad probandam Dei existentiam ex universali ætatum omnium, & omnium gentium consensu derivarunt, ex veteribus Plato, Aristoteles, Tullius, Seneca, & Plutarcus, ex recentioribus vero Cudwortus (*a*) Benoestius (*b*), & Genuensis (*c*). Quod licet argumentum enervare

(a) *System. Intellect. cap.* 4.
(b) *In præf. libri adversus Tolandum.*
(c) *In schol., & append. in cap.* 1. *lib.* 3. *Elem. Metaph.*

re plurimi, & in primis Bælius conatus sit, jure merito adhuc gravissimum, & invictissimum potest censeri. *Nam*, ut ait optime, & eleganter (*a*) de more suo Genuensis, *seu dicamus ex uno communi fonte eam doctrinam derivatam esse, idest a primo quodam generis humani parente, & propagatore, & est argumentum certissimum cœpisse aliquando homines, ac proinde originem hunc mundum habere, quod esse nequit nisi a potentissima aliqua, & intelligentissima caussa. Seu dicamus depromptam esse ex aspectu mundi, & argumentum idem est perspicuum Deum esse: Quod enim clare, & evidenter omnibus videtur non potest non esse verum. Quoniam ergo tam longe, lateque diffusæ consensionis æque patens caussa sit, necesse est; nec alia esse possit præter eas, quas recensuimus; earum vero altera posita, Deum esse necessario conficitur; Deum ergo esse perspicuum est.*

Hæc vero obiter tantum dicta, & notata sint. Nobis in præsentiarum non fuit

(a) *In append. eadem* § 2.

fuit propositum argumentis illius generis Atheos perstringere, sed solum argumentum aliud urgere, & etiam, si fieri posset ad absolutæ, legitimæque demonstrationis vim restituere, quod jam olim ex inertia, & otiositate materiæ desumptum est: Non quod reliqua omnia minoris ponderis esse arbitremur, sed quod ægre admodum feramus momentum illud a corporum essentia, & natura erutum passim negligi. Relinquimus igitur in suo robore alias demonstrationes, tum Metaphysicas, quas ex conceptu contingentium rerum depromptas copiose adeo exhibuerunt Cudwortus, Clarkius, Fenelonus, Genuensis, Wolfius, & Soria, tum Philologicas, quas ex historia humana protulit Jacquelotus, tum etiam Physicas, quas Derhamus, Niewentiitius, & Newtonus superstruxerunt ordini, perfectioni, & structuræ Universi hujus, atque insuper Mathematicam, quam in suis Cosmologiæ elementis Maupertuisius ex quadam motuum œconomia, & generali, ut putat, minimæ actionis lege derivavit.

vavit. Contendemus dumtaxat corpora ex propria essentia esse inertia, & agendi principio quolibet destituta, ac proinde nec esse a se, nec moveri potuisse umquam, nec motum, atque existentiam suam aliunde habere acceptam, quam ex caussa aliqua necessaria, independenti, & perfectissima.

Hoc argumentum quod invictissimum, & æque certum videri poterat, ac explorata omnibus sit materiæ otiositas, & inertia infirmari a Cl. Lockio cœpit: Quum enim in pervulgato suo de intellectu humano tentamine dictitasset passim essentiam rerum, & corporum esse incompertam, & dubitasset propterea utrum cogitandi vis, & facultas convenire materiæ posset, dubium etiam, incertumque voluit relinquere utrum ipsi aliæ vires, facultates, motusque ex propria essentia convenirent. Lockio accesserunt plures naturam corporum perspici, & cognosci minime a nobis posse ex eo confirmantes, quod cum acerrime per tot sæcula disputatum sit a Philosophicis de essentia corpo-

po-

porum, non ideo tamen componi lites, & definiri hactenus eadem potuit. Hinc factum est ut materiam, & corpus ipsi fere Chiliogonum esse dicerent, cujus dumtaxat quatuor, aut quinque latera innotescerent, ignotis reliquis, quaternæ scilicet, aut quinæ tantum proprietates.

Accesserunt his etiam alii ex Physicorum classe activitatem materiæ, & corporum derivantes ex quo in systemate hoc nostro, quam late patet, absolute quiescens corpus sit nullum. Plane ex Astronomicis observationibus Sol circa suum centrum movetur, & circa Solem moventur pariter Cometæ, & Planetæ omnes. Universalis ea vis quæ gravitas apellatur, motuum horum omnium, & aliorum etiam complurium, maxime circa telluris superficiem, caussa est. Præter gravitatem hanc vires aliæ minimas corporum particulas in minimis a se invicem distantiis agitant, & ad accessum, aut ad recessum determinant. Prostant innumera hacce in re Newtoni, Keillii, Musschenbroekii, aliorumque sexcento-

rum fere experimenta. Non pauca iisdem addidit plane nova, & singularia investigator naturæ optimus Thomas Needham. In pluribus ipse infusioribus fluidorum, ut succi amygdalarum &c. aliquot post infusionem diebus, præ lantissimi Microscopii ope, deprehendit crassiores quasdam, & fixas infundo vasis particulas accumulari, tum reliquam portionem fluidi in filamenta fere innumera dividi, inter se invicem sub quibuscumque angulis, & omnifariam posita, ex quorum filamentorum capitibus plures, & plures successive globuli emergebant, ut tota demum in globulos converterentur. Globuli varios, irregularesque motus ex ipsa sui formatione habebant: Tum vero globulus quilibet in duos dividebatur, & ex his ambo adhuc in duos, & duos rursus, quoadusque demum Microscopio, in cujus foco positis fluidis distincte omnia contemplabantur, eriperentur ob parvitatem. Et ne suspicio exinde esset quod dicti motus a caussa aliqua extrinseca orirentur, ab attractione aeris

ex.

ex. gr., aut circumstantium particularum, fluidi guttam unam a reliquis separatam alteri fluido immersit, deprehenditque ne minimum quidem, mutato ambiente corpore, guttæ motum variari. Experimenta hujuscemodi plurima versus finem anni 1751. simul cœpimus, atque ipse fusius exposuit in suis *Nouvelles observations Microscopiques*.

At meo quidem judicio aliud est succi amygdalarum particulas singularibus iisdem motibus abreptas esse, quod a Needhamo fuit observatum, aliud quod motus ipsi non ab extrinseca caussa aliqua, sed ab innato, & essentiali principio motus profluxerint, quod neque author ingenuus, & ingeniosus umquam asseruit, neque supponi idcirco deberet umquam, quod motuum caussa incomperta esset. In tenuissima quæpiam animalcula aeri, fluidisque aliis innatantia regeri rem omnem posse suspicatus est nuperus Aubentonii, Buffonii, & Needhami Criticus (*a*). En ejus verba. *Com-*

 ment

(a) *Lettres á un Amériquain quat. par. 2. l. t. p. 20*

ment auroit-il pu s' aſſurer qu' il n'y avoit point d' animaux répandus dans l' air que contenoient les bouteilles, ou dans les germes d' amandes? Leeuwenboeck en a bien obſervé, ou l' on ne ſe ſeroit jamais imaginé qu' il y en eût. Qui lui a dit que ces animalcules étoient des particules d' amandes? Et dans le cas où il s' en ſeroit aſſuré, qui lui a dit encore que des animaux imperceptibles, même à l' oeil aidé du microſcope, ne s' étoient pas emparé des débris des germes d' amande, & qu' il n' étoient pas la vraie cauſe des mouvemens qu' on y appercevoit? Sed de vera horum motuum cauſſa quidpiam decernere noſtra non intereſt. Proponemus conjecturas aliquot capite ultimo libri primi noſtrorum Phyſico-Mathematicæ elementorum, ſi quando ad calcem ipſa, & in publicam lucem venient. Interim duo explorata nobis, & rata ſunt: Eos minimarum particularum motus non profluxiſſe ab intrinſeco principio aliquo, & corpora ex ſui natura, & eſſentia prorſus inertia, & otioſa eſſe.

Quod

Quod ut pro viribus, & quantum in Metaphysica re potest fieri, demonstremus, exinde ordiemur omnem demonstrationem, unde ea dubia Lockio suborta sunt. Incompletas, imperfectasque corporum ideas nos habere asseruit Lockius, nec nos negamus, qui licet per extensionem solidam, tamquam per genus, & differentiam definiri corpus arbitraremur, non ideo tamen diffiteremur soliditatis, & extensionis, aliarumque omnium relationum utriusque imperfectas ideas in nobis esse. Ut unum saltem ex tot iis locis, in quibus Lockius id ipsum repetit, proferamus, videatur lib. 4. cap. 3. §. 26., ubi hæc leguntur: *Nous n'avons que des idées fort imperfaites, & incomplettes des Corps*. Porro dum incompletas, imperfectissimasque corporum ideas nos habere putavit Lockius, putavit etiam nos habere ideam aliquam, imaginem scilicet, aut repræsentationem eorumdem corporum menti exhibitam. Qui omnino nullam corporum ideam esse in nobis pertinacius defenderet, is pari

passu negare posset corpora esse, & moveri, & fuste verius, ac baculo sanandus esset, quam argumentis Philosophicis revincendus. His positis illud omnibus ex sensu intimo, & ex conscientia exploratum, notumque est in eadem corporum idea, quæcumque sit (neque enim opus est nobis in præsentiarum eam ideam singillatim explicare, & perpendere) notionem ullam vis facultatis, potentiæque agendi cujuslibet non comprehendi. Alterum etiam nobis videtur certum, quod scilicet si vis ulla, aut potentia agendi quælibet ad essentiam corporum pertineret, deberet aliquo saltem modo exhiberi, & comprehendi in idea corporum. Corpus concipere sine aliqua essentiali ipsius proprietate idem est nobis ac corpus concipere sine corpore. An non enim, quæ essentiales sunt proprietates, immediate, & intrinsece corpus constituunt? Sed hæc paullo distinctius, & generalius sunt exponenda. Agamus igitur.

Definitio Prima.

ESsentia est forma intrinseca rei cujuspiam, qua talis potius eadem res constituitur, quam non.

Definitio Secunda.

ESsentiales rei proprietates sunt quæ immediate ipsius essentiam constituunt.

Definitio Tertia.

ACcidentales vero dicuntur proprietates illæ, quæ salva essentia rei possunt esse, & abesse.

Definitio Quarta.

NEcessarium vocatur id, quod non esse nequaquam potest. Possibile id, quod cum possit non esse, non tamen implicat quod sit: Impossibile demum id, quod esse implicat.

Definitio Quinta.

PErfectum dicitur id, quod eſt, & perfectius id, quod eſt magis, majorem ſcilicet proprietatum numerum, extenſionemque in ſe complectitur: Ita qui ex anima, & corpore eſt compoſitus ex. gr., perfectus homo, & qui ulterius eſt fortis, prudens, ſapiens &c. homo perfectior appellatur.

Axioma Primum.

NIhil eſt ſine ratione ſufficienti cur potius ſit, quam non ſit.

Axioma Secundum.

QUod eſt, neque in ſe ipſo ſufficientem rationem habet, cur potius ſit quam non ſit, neceſſario rationem eamdem in alio aliquo extra ſe habet.

Axioma Tertium:

QUod extra ſe, & in alio minime habet ſufficientem illam rationem, neceſſario in ſe ipſo habet.

Postulatum.

HAbemus aliquam ideam corporis, quomodocumque demum perfecta, aut imperfecta, adæquata, aut inadæquata eadem sit.

PROPOSITIO PRIMA.

SI in toto rerum quarumdam genere, non reperiatur sufficiens ratio, cur sint res ipsæ, necessario admittendum erit aliud aliquod rerum genus.

Demonstratio.

CUjuscumique generis sint res propositæ, necessario, vi primi axiomatis, habere debent sufficientem rationem aliquam, cur potius sint, quam non sint. Sed per hypothesim hanc rationem in se non habent. Ipsam igitur, per secundum axioma, extra se habent, & in alio aliquo alterius diversi generis.

Co-

Corollarium.

ITa, si corpora omnia in se non habeant propriæ existentiæ, propriique motus rationem, aliud incorporearum rerum genus existat necesse est.

PROPOSITIO SECUNDA.

SI plures simul eidem rei proprietates sint essentiales, sine aliqua singularum essentialium proprietatum idea res concipi, neque perfecte, neque imperfecte poterit.

Demonstratio.

PRoprietates cujuspiam rei essentiales, ex secunda definitione, sunt, quæ constituunt immediate essentiam rei. Rei igitur immediate, & necessario conjunctæ sunt. Sed quæ immediate, & necessario eidem tertio conjunguntur, conjunguntur etiam eodem modo inter se: Inter se igitur immediate, & necessario conjunguntur in eadem re essentiales rei proprietates, atque adeo etiam in idea

rei conjungentur, quum idea nihil sit aliud quam rei imago. Porro, si quæ immediate, & necessario conjuncta inter se sunt, eorum unum auferri nequaquam potest nisi aliis simul ablatis. Neque ergo potest ex idea rei demi, & auferri aliqua essentialis ipsius proprietas nisi omnis idea rei auferatur, & nulla amplius, aut perfecta, aut imperfecta superstes sit.

Corollarium Primum.

IN generali theoremate peculiaris quisque casus complectitur. Ex. gr. tres proprietates ad circuli essentiam simul pertinent: Quod sit primo figura plana: Secundo quod lineæ unius circuitu comprehendatur: Tertio quod rectæ omnes ab aliquo interno puncto ad illam ductæ æquales sint. Quare ab una, vel altera ex his proprietatibus per mentem abstrahendo, præscindendoque, neque perfecta, neque imperfecta amplius, sed prorsus nulla idea circuli supererit.

Corollarium Secundum.

COntra si rei cujuspiam ideam aliquam nos habeamus, quæ peculiaris proprietatis ideam non involvat, argumento erit proprietatem eamdem ad rei essentiam non pertinere. Sic quoniam idea trianguli ex se præscindit ab idea æqualitatis laterum, & angulorum, essentiale triangulo esse non poterit, quod sibi æqualia, vel inæqualia sint latera, & anguli.

PROPOSITIO TERTIA.

COrpora ex sui natura prorsus inertia, & otiosa sunt.

Demonstratio.

IDeam aliquam corporum nos habere in postulato antecedenti fuit dictum. In hac ipsa idea, quæcumque sit, nullam virium, facultatum, & potentiarum agendi ideam necessario involvi ex conscientia, & ex intimo sensu liquet. Habemus ergo ideam aliquam corporum sine ali-

qua activi principii idea. Sed per secundam propositionem ubi vis aliqua, aut potentia essentialis esset corporibus, nulla idea corporum haberi a nobis, sine idea vis, & potentiæ ejusdem posset. Non ergo esse potest corporibus essentialis vis eadem, seu, quod eodem recidit, corpora ex sui natura prorsus inertia, & otiosa sunt.

Corollarium Primum.

ACtiones omnes & vires, quæ in corporibus deprehenduntur, attractio gravitas &c. corporibus accidentales sunt, & extrinsecæ.

Corollarium Secundum.

PRoprietates accidentales esse, & abesse, manente essentia rei alicujus possunt. Non ergo in re ipsa potest esse ratio cur sint. Ergo neque in corporibus esse potest sufficiens, ratio omnium peculiarium virium, & actionum.

PROPOSITIO QUARTA.

SUfficiens ratio cur ſint, & moveantur corpora eſſe in corporibus non poteſt.

Demonſtratio.

MOveri, & eſſe a ſe non poteſt illud, quod nullam in ſe habet vim. At per propoſitionem tertiam otioſa prorſus, atque inertia ſunt corpora, & ex ſui natura expoliata quacumque vi, facultate, & potentia agendi. Non poſſunt ergo eſſe, & moveri a ſe, ſibique ratio, & cauſſa eſſe cur ſint, & moveantur.

Corollarium.

MUlto minus poterunt corpora incorporeæ alterius rei cauſſa eſſe.

PROPOSITIO QUINTA.

SUfficiens ratio cur ſint, & moveantur corpora ex alio rerum genere debet repeti.

Demonſtratio.

EX propoſitione quinta antecedenti corpora in ſe non habent rationem aliquam ſufficientem cur ſint, & moveantur. Ergo per corollarium propoſitionis primæ hanc rationem in alio aliquo rerum genere habere debent.

Corollarium.

QUod non eſt corpus, & tamen eſt, incórporeum, & ſpirituale eſſe debet. Aliud itaque ſpiritualium rerum genus eſt admittendum.

PROPOSITIO SEXTA.

SPiritualium hujuſmodi rerum genus in ſe complecti neceſſario debet rationem propriæ exiſtentiæ.

Demonſtratio.

SI non: Per axioma tertium habebit rationem ſuæ exiſtentiæ extra ſe; ſeu, quia extra incorporearum, & ſpiritualium rerum genus dumtaxat corporeæ

re-

remanent, in corporibus erit ratio existentiæ spiritualium earumdem rerum. Id vero per Corollarium propositionis quartæ absurdum est.

Corollarium.

ITa in eodem genere ratio existentiæ spiritualium æque, & corporearum rerum, omnium scilicet debebit esse.

PROPOSITIO SEPTIMA.

EX rerum earumdem genere res aliqua est a se.

Demonstratio.

AUt aliqua a se est, aut singulæ ab alia sunt. At si ab alia sunt singulæ, omnes etiam simul acceptæ, idest totum spiritualium rerum genus extra se habet existentiæ propriæ rationem, contra propositionem sextam. Aliqua ergo necessario est a se.

Corollarium Primum.

EXiſtit ergo res aliqua independens prorſus, neceſſaria, & a ſe.

Corollarium Secundum.

ALiæ res omnes ſpirituales, & corporeæ, quæ ſunt, ab hac re habent, ut ſint.

Corollarium Tertium.

ET ita pariter quia res præteritæ, aut futuræ, & poſſibiles ex ſe non habent ſuam exiſtentiam, ſuppoſitione facta quod ſint, exiſtentiam habere debent ab aliquo, quod vere ſit, ſive ab eo, in quo omnia, quæcumque ſunt, ſufficientem ſuæ exiſtentiæ rationem habent.

PROPOSITIO OCTAVA.

EXiſtit Deus.

Demonstratio.

DEus est ens necessarium, & independens, quod est a se, & in quo est ratio existentiæ aliarum omnium rerum, quæ sunt, aut fuerunt, aut futuræ sunt, aut possunt esse. At vero ex tribus propositionis septimæ corollariis patet existere hoc ens a se, independens, & necessarium, in quo omnia, quæcumque sunt, aut fuerunt, aut debent, & possunt esse existentiæ suæ sufficientem rationem habeant. Itaque existit Deus.

Corollarium.

ET quia ens illud, de quo in iisdem corollariis, erat ex genere incorporearum, & spiritualium rerum, Deus quoque incorporeus erit, & spiritualis.

PROPOSITIO NONA.

DEus est simplicissimus.

De-

Demonstratio.

DEus est incorporeus, & spiritualis, ut mox fuit dictum. Non itaque ex ullis partibus componi potest, sive est in se simplicissimus.

Corollarium.

OMnes Dei proprietates sunt una, atque simplicissima Dei essentia. Neque enim ulla proprietatum distinctio, & compositio in ente incomposito, & simplicissimo potest concipi.

PROPOSITIO DECIMA.

DEus est immutabilis.

Demonstratio.

DEus per octavam propositionem ab exteriori principio aliquo non pendet. Itaque extrinsecùs est immutabilis. In se, & intrinsecus est necessarius. At quod est necessarium est immutabile. Non itaque ad extra solum, sed ad in-

tra etiam immutabilis est Deus.

Corollarium.

QUæ mutabilia, & contingentia extra Deum reperiuntur entia, nec necessario a Dei substantia emanant, nec essentialiter ipsi conjuncta sunt.

PROPOSITIO UNDECIMA.

DEus est æternus, & immortalis.

Demonstratio.

INcipere est transitum a non existentia ad existentiam facere: Desinere est transitum facere ab existentia ad non existentiam. Utrumque vero est mutari: Et Deus ex superiori propositione decima est immutabilis. Neque igitur aliquando incœpit, neque aliquando potest desinere, sive est æternus, & immortalis.

Corollarium.

ET quia quidquid est Deus necessario est, nec potuit, nec potest esse, aut

aut non æternus, aut non immortalis.

PROPOSITIO DUODECIMA.

DEus eſt omne id, quod poteſt in ſe ipſo eſſe.

Demonſtratio.

QUidquid non eſt omne illud, quod poteſt eſſe, poteſt plus eſſe, quam modo eſt, & quod plus poteſt eſſe poteſt mutari. Deus vero eſt immutabilis. Ergo plus eſſe nequit, quam modo eſt, ſive eſt in ſe illud omne, quod poteſt eſſe.

Corollarium Primum.

ID, quod majorem ſuæ exiſtentiæ extenſionem habet, ſeu plures, præſtantioreſque affectiones in ſe complectitur, ex quinta definitione perfectius eſt. Itaque Deus, qui eas omnes habet, quas poteſt habere, eſt perfectiſſimus.

Corollarium Secundum.

ET quæcumque peculiaris perfectio excogitari a nobis possit, sapientia, bonitas, justitia &c., ea in sua omni possibili extensione in Deo erit, sive erit Deus sapientissimus, optimus, justissimus &c.

PROPOSITIO DECIMA TERTIA.

DEus est in se beatissimus.

Demonstratio.

ILlud in se beatissimum debet dici, quod in se habet quidquid beatitudini propriæ ulla ratione potest conducere. Sed, per duodecimam propositionem, Deus in se habet quidquid in se ipso habere potest. Habet ergo in se quidquid potest beatitudinem suam aut constituere, aut augere. Ergo est beatissimus.

Corollarium.

DEus, ut sit beatissimus non indiget rebus aliis quibuscumque extra se positis.

PROPOSITIO DECIMA QUARTA.

DEus est infinitus.

Demonstratio.

QUod non est infinitum finem habet, & quod habet finem potest esse amplius quam est. Sed per duodecimam propositionem non potest Deus esse amplius, quem est. Est igitur infinitus.

Corollarium.

ET qua quidquid metitur habet finem, Deus, qui est sine fine, erit etiam sine mensura, hoc est immensus.

PROPOSITIO DECIMA QUINTA.

DEus est unicus.

Demonstratio.

PEr corollaria primum, atque alterum propositionis duodecimæ, Deus in se habet perfectiones omnes possibiles. At perfectiones omnes possibiles in pluribus simul entibus complecti absurdum est: Quum necessario deficere debeant alteri alterius perfectiones. Deus igitur, qui omnes in se complectitur, erit unicus.

Corollarium.

A Fortiori neque duo Dii esse poterunt, quorum unus sit bonus, & beneficus, atque alter malus.

PROPOSITIO DECIMA SEXTA.

DEus est omniscius.

Demonstratio.

DEus in se comprehendit sufficientem rationem omnium corporearum, et spiritualium rerum, quæ sunt: Et quo

quo pacto earum rerum, quæ modo ſunt, ſufficientes rationes Deus in ſe comprehendit, comprehendere etiam debet rationes earum omnium, quæ fuerunt, aut erunt, aut poſſunt eſſe. Colligitur id ex ſeptima, & ex octava propoſitione. Itaque Deus in ſe comprehendit rationes omnium, & ſingularum rerum, ſive eſt omniſcius.

Corollarium Primum.

SCientia Dei in Deo eſt, neque ex rebus extra Deum poſitis hauritur.

Corollarium Secundum.

SCientia Dei immutabilis eſt, qua ratione immutabilis eſt Deus ipſe.

Corollarium Tertium.

SCientia Dei nihil eſt aliud quam ipſa ratio exiſtentiæ, & poſſibilitatis intrinſecæ rerum omnium.

PRO-

PROPOSITIO DECIMA SEPTIMA.

DEus ſimul, & eodem tempore videt omnia.

Demonſtratio.

SCit enim Deus, & cognoſcit omnia in ſe ipſo, ſicuti in corollario primo decimæ ſextæ propoſitionis fuit dictum. At vero, ut conſtat ex corollario propoſitionis nonæ, in Deo non poteſt eſſe diſtinctio ulla partium, & proprietatum. Cognoſcit igitur, & videt omnia eodem tempore, & ſimul.

Corollarium.

OMnia Deo præſentia ſunt citra ullam, aut futuri, aut præteriti diverſitatem.

PROPOSITIO DECIMA OCTAVA.

DEus extra ſe libere agit.

Demonstratio .

DEus ad agendum potius hoc , quam illud determinari extrinsecus non potest . A nullo quippe exteriori principio pendet . At neque intrinsecus , & ex necessitate naturæ suæ determinari potest ad hoc potius , quam illud extra se agendum : Secus res exteriores suæ ipsi essentiæ connexæ essent , contra propositionis decimæ corollarium . Ergo neque a se , neque ab alio ad agendum extra se cogitur : Extra se ergo est liber .

Corollarium .

QUoniam quidquid in Deo est immutabile , & perfectissimum esse debet , perfectissima simul , & immutabilis erit hæc libera Dei voluntas .

PROPOSITIO DECIMA NONA .

DEus est providentissimus .

Demonstratio.

PRovidentia est earum rerum, quæ sunt, aut futuræ sunt, præscientia, dispositio, & gubernatio. Deus vero perfectissime regit quæcumque sunt, & quæ aliquando erunt prospiciens, perfectissime, & ad arbitrium disponit, per octavam, duodecimam, decimam sextam, & decimam octavam propositionem. Est ergo providentissimus.

Corollarium.

DEus omnia ad peculiares suos fines dirigit.

PROPOSITIO VIGESIMA.

DEus est omnipotens.

Demonstratio.

PEr propositionem octavam Deus in se ipso habet sufficientem rationem earum omnium rerum, quæ sunt, aut fuerunt, aut debent, aut possunt esse.

Po-

Poteſt itaque id omne facere, quod poteſt fieri, & eſſe; id quod & eſſe omnipotens.

Corollarium Primum.

DEus infinite plura, & majora poteſt efficere, quam nos poſſimus intellectu noſtro comprehendere.

Corollarium Secundum.

INcomprehenſibilitas rei cujuſpiam non eſt ſufficiens argumentum, quo tamquam falſa, & impoſſibilis rejiciatur.

PROPOSITIO VIGESIMA PRIMA.

DEus non poteſt facere id, quod involvit contradictionem.

Demonſtratio.

QUod non habet in Deo rationem aliquam ſufficientem, cur ſit, neque ab ipſo Deo poteſt effici: Secus ſine ratione ſufficienti eſſet. At quod involvit contradictionem habere in Deo ſufficientem rationem propriæ exiſtentiæ nequa-

quaquam poteſt : Secus non amplius eſſet contradictorium . A Deo itaque non poteſt effici .

Corollarium .

QUia vero Deus eſt omnipotens , non defectus , ſed complementum verius , & perfectio potentiæ erit non poſſe , quæ ex ſe pugnantia , atque ideo imperfecta ſunt .

PROPOSITIO VIGESIMA SECUNDA.

NOn poteſt Deus producere aliquod ens perfectiſſimum .

Demonſtratio .

ENs perfectiſſimum eſſet immenſum , & infinitum , ac neceſſarium , ſive a ſe . Itaque , ſi a Deo produci poſſet , poſſet produci ens aliquod , quod a Deo eſſet , & non a Deo , ſcilicet a ſe . At eſſe , & non eſſe a Deo involvit contradictionem , ut planum eſt , & quod involvit contradictionem a Deo non poteſt effici , ut dictum fuit in vigeſima prima

pro-

propoſitione. Non ergo poteſt ens perfectiſſimum a Deo produci.

Corollarium Primum.

NOn poteſt Deus facere quod creaturæ ſint prorſus indefectibiles.

Corollarium Secundum.

DEus mala omnia in creaturis ſuis impedire nequaquam poteſt.

PROPOSITIO VIGESIMA TERTIA.

NOn poteſt Deus rerum eſſentias immutare.

Demonſtratio.

ESſentia eſt quod rem aliquam talem intrinſece conſtituit. Si ergo poſſet mutari eſſentia, poſſet effici quod res eadem eſſet ſimul, & non eſſet talis. Eſſet nimirum ex facta hypotheſi, quod ſit: Non eſſet ob propriæ eſſentiæ defectum, mutationemque. At id involvit contradictionem. Non poteſt ergo a Deo effici.

Co-

Corollarium .

NEque ergo poterit Deus producere corpus, quod non ſit iners, quodque ex ſe aliquod principium actionis habeat.

PROPOSITIO VIGESIMA QUARTA.

NOn poteſt Deus efficere ut corpus cogitet.

Demonſtratio .

COgitare eſt rerum ideas in ſe producere, ſeparare, conjungere, alias ex aliis derivare, revocare jam habitas &c. Cogitatio itaque ex ſuo formali conceptu involvit agendi principium aliquod. Haberent itaque actionis principium aliquod corpora ſi cogitarent: Id quod reſpectu etiam divinæ omnipotentiæ eſſe impoſſibile dictum fuit.

Corollarium .

PAri modo oſtendetur non poſſe Deum creare corpora, quæ ex ſe, & præſcin-

ſcindendo ab exteriori actione quavis, moveantur, ſeu, quod eodem recidit, Deum eſſe motuum eorum omnium, qui in hoc Univerſo fiunt, immediatam effectricem cauſſam.

PROPOSITIO DECIMA QUINTA.

QUod eſt in nobis volendi, intelligendique principium ſpirituale, & incorporeum eſſe debet.

Demonſtratio.

EX vigeſima quarta propoſitione id, quod cogitat, materiale, & corporeum eſſe nequit. Anima ergo, quæ in nobis cogitat, & intelligit, eſt ſpiritualis, & incorporea.

Corollarium Primum.

QUia, quod non eſt corporeum, non habet partes, anima ex partibus componi, & reſolvi in partes, ac per eamdem reſolutionem partium interire, nequaquam poterit. Erit igitur ex ſua natura immortalis.

Corollarium Secundum.

ET quia quod non habet partes, nec est extensum, nullibi est, nullibi etiam in nostro corpore, tamquam per loci occupationem esse poterit anima, & ridiculum prorsus erit inquirere, utrum in glandula pineali, & cerebro, vel cerebello, aut in medulla oblungata sit.

Corollarium Tertium.

ADerit ergo corpori nostro anima assistendo, & regendo tantum, non vero ullum locum in corpore occupando.

Scholium Generale.

COrollariis primo, & secundo propositionis vigesimæ præoccupavimus, atque exsolvimus verbo difficultates omnes, quas Athei contra Dei existentiam, immaterialitatem, & providentiam solent opponere quasque perstringit veluti Bælius in Dictionario Historico, & Critico, titulo Simonides. Hujusmodi sunt, quod

non

non possit a nobis concipi, quomodo existat aliquid, quod nulla spatii portione commensuretur; quomodo, quum Deus ob spiritualitatem suam sit nullibi, ob suam immensitatem sit ubique; quum sit necessarius, & immutabilis, sit etiam liber; quumque sit sapientissimus, & providentissimus mundi hujus administrator tot malos homines prospere agere, & tot affictari bonos permittat. Ecquid enim etiam si hæc omnia quomodo sint non possit a nobis percipi? Anne propterea dubitandum erit quod sint, maxime si naturalis, & recta ostendat ratio ea, quo modo percipi a nobis nequeunt, vere esse? Minime gentium: Nam quoniam longe plura in Deo esse, & a Deo posse fieri, quæ nos non possumus intellectu nostro comprehendere, ex ipsa Dei infinitate, & omnipotentia plane sequitur, incomprehensibilitas rei cujuspiam non erit tutum, & sufficiens argumentum, quo debeat negari, & rejici.

Id in humanis quoque, & naturalibus rebus, quarum quum plures esse

 cer-

certo ſciamus, quo tamen modo ſint non percipimus, locum omnino habere fuſius, & erudite in *Converſione Comitis Rochæ* oſtendit Epiſcopus Salisburienſis. Id aliis exemplis pariter poſſemus nos confirmare, niſi pigeret jam in detrito, pervulgatoque argumento diutius immorari. E re igitur magis erit, quod, cum ſuperius ordinata attributorum, perfectionumque Dei inquiſitio eo pedetentim nos duxerit, ut materiam, cogitationemque, ne per divinam quidem omnipotentiam, miſceri inter ſe poſſe oſtenderemus, in celeberrima noſtræ hujus ætatis controverſia paullisper ſiſtamus nos, & rationes ſingulas illas examinemus, quibus incertum Joannes Lockius, ac dubium voluit relinquere, utrum materia, per divinam ſaltem omnipotentiam cogitationis particeps poſſit fieri, nec ne. Id vero breviter, quantum ſpeciminis hujus inſtitutum exigit, & libentiſſime etiam præſtabimus, quoniam, Genuenſi, & Poliniaco excepto, cæteri, qui poſtremis hiſce annis fuſius, atque ex profeſſo adverſus Lockium

de

de immaterialitate animæ ſcriptitarunt, ii nobis videntur tantum, aut argumenta Stillingfleetii recoxiſſe, aut exprobaſſe nonnullas Lockio contradictiunculas, quod non adeo erat difficile, aut de ſuo quaſdam argutias addidiſſe, quas plane neſcio utrum alicui jugi Philoſopho ſatisfecerint.

Lockius igitur de intellectu hominis agens libro quarto, capite tertio, quod de extenſione cognitionis humanæ inſcribitur, generale theorema ſtatuit, quaſcumque noſtras cognitiones ideis eſſe limitatiores. Cognitio quippe, ut definit capite primo ejuſdem libri, eſt perceptio aut convenientiæ, aut diſconvenientiæ idearum, & habetur præciſe quatenus hæc a nobis, aut convenientia, aut diſconvenientia percipitur. Id autem triplici modo fieri capite ſecundo explicat. Primo intuitione duas ideas immediate ſibi invicem comparando. Secundo ratione idearum duarum diſconvenientiam, aut convenientiam tertiæ alicujus ideæ interventu examinando, quæ binas illas aut ſeparet, aut conjungat. Tertio ſenſatione

particularium rerum existentiam attingendo. Jam vero, sequitur capite tertio ipse Lockius, si intuitione comparata sit ea cognitio, cum sola, & simplici duarum idearum comparatione relationes earumdem omnes non innotescant, ad ideas omnes, quæ intuitiva est, cognitio non extendetur. Quod si ratione acquisita sit, quia non semper in promptu est tertia idea, quæ duas propositas, aut nectat, aut disjungat, de iis omnibus demonstrativa cognitio haberi nequaquam poterit, de quibus habentur ideæ. Quod si sensatione demum sit parta, ultra existentiam earum rerum non extendetur, quæ sensus nostros immediate possunt afficere. Atque ita cognitiones sensitivæ erunt præ intuitivis semper, ac demonstrativis limitatiores. Ex quo humanas cognitiones omnes esse ideis magis restrictas, neque ad ea omnia extendi, ad quæ extenduntur ideæ, universim deducit Lockius, qui antea perceptionem ab idea minime distinguens, ideæ vocabulo appellitavit (*a*),

tout

(a) *Liv.* 2. *chap.* 8. § 8.

tout ce que l'Esprit apperçevoit en lui même, toute perception qui est dans notre esprit lors qu' il pense. Si cognitio definiatur duarum vel plurium perceptionum conjunctio, vel separatio, & ideæ nomine, non jam quælibet mentis perceptio intelligatur, sed tantum repræsentatio, sive imago rei menti exhibita, sicuti Arnaldus (*a*), Genuensis (*b*), Wolfius (*c*), & alii passim perspicacissimi Metaphysici intelligunt, falsum erit Lockii theorema. Hoc enim in sensu accepto ideæ vocabulo planum est nullam. Dei, & spirituum ideam in nobis esse, quamvis & spiritus, & Deum existere apertissime cognoscamus. Sic tantum aberit, quod cognitiones ideis sint restrictiores, ut potius de iis etiam rebus cognitio haberi possit, de quibus ideæ non habentur.

Sed amplius Lockio non disputemus veritatem theorematis, &, quoniam sic ipsi placet, perceptiones synonimas ideis

(a) *Introd. in Logicam.*
(b) *Par. 2. def. 4. in scbolio.*
(c) *Psyc. Emp. par. 1. sect 2. cap. 1.* § 48.

faciamus. Videamus quid inde sequitur. *Aprés tout cela*, subdit Lockius, *je croi pouvoir dire hardiment, sans faire tort à la perfection humaine, que notre connoissance ne sauroit jamais embrasser tout ce que nous pouvons desirer de connoître touchant les idèes que nous avons, ni lever toutes les difficultez, & resoudre toutes les questions, qu'on peut faire sur aucune de ces idèes. Par exemple, nous avons des idèes d'un Quarrè, d'un Cercle, & de ce qu'emporte egalité; cependant nous ne serons, peut-être, jamais capables de trouver un Cercle égal à un Quarrè, & de savoir certainement s'il y en a. Nous avons des idèes de la Matière, & de la Pensèe; mais, peut-être, ne serons-nous jamais capables de connoître si un Etre purement materiel pense, ou non.* At vero aliud omnino est, quod non semper ad illas res extendatur cognitio nostra, ad quas extenduntur ideæ, aliud quod numquam extendi eousque possit. Primum etiamsi Lockio concedamus non sequitur etiam alterum verum esse: Plane enim in nobis plu-

plures cognitiones esse de iis ipsis rebus, de quibus habentur ideæ, ita est certum, ut etiam pudeat exemplis veritatem manifestissimam confirmare. Aliqua tamen in medium proferamus. Habemus ideam quadrati, ideam segmenti parabolici, & ideam ejus, quod indicatur vocabulo æqualitatis, & scimus insuper quadratum esse segmento parabolico æquale: Habemus ideam circuli, & ideam quadrati circulo inscripti, vel circumscripti, & scimus circulum non esse inscripto, circumscriptove quadrato æqualem. Itaque nimis festinanter Lockius ex eo theoremate, quod cognitiones universim sumptæ sint ideis nostris limitatiores ad cognitiones peculiares veniens deduxit cognosci minime a nobis posse utrum materies cogitationis particeps fieri umquam possit, nec ne. Quod si addamus postmodum ideæ corporis ideam inertiæ necessario connexam esse, componi vero, & necti inter se non posse ideas inertiæ, & cogitationis, res omnis confecta erit, & corpus cogitans erit omnino impossibile.

Ne-

Neque vero est quod ad tenebras ignorantiæ nostræ confugiat Lockius, & ex quo plura alia non cognoscamus, inferat nec posse a nobis cognosci utrum cogitare aliquando possit, aut non possit materies. Severiori Philosopho prorsus indigna hæc mihi argumentandi ratio solet videri, &, quantum ovum ovo esse potest, alteri illi similis, qua, ex quo circulus rectificari, & quadrari nequeat, inferret quispiam, nec parabolam Apollonianam quadrari posse, nec quam vocant Nælianam, & cubicam, rectificari. Sed tamen audiamus Lockium. Ait nobis imperceptibile, & incompertum æque esse quomodo materia cogitet, quam quomodo existant spiritus, & spiritus conjungantur materiæ, & materia agat in spiritum, & viceversa: Sed existere spiritus aliunde novimus, & corporibus uniri, & agere in corpora, & viceversa; incomprehensibilitas igitur cogitantis materiæ minime officiet ipsius possibilitati, aut existentiæ. Hoc capite eodem tertio argumentum proposuit, & postmodum,

occasione disputationis in Anglia exortæ, Doctori Stillingfleetio rursus objecit. Sed argumenti major neganda est: Neque enim non percipimus tantum quanam ratione cogitare possit materies, quemadmodum non percipimus quanam ratione agere in spiritum materies possit, sed manifestam, evidentemque contradictionem deprehendimus, inertem inter substantiam, ut est materies, & inter vim, facultatemque cogitandi. Itaque dispar est casus cogitantis materiæ, & materiæ agentis in spiritum.

Quæ Lockius addidit leviora sunt. Nam quod ait affectiones varias superaddi a Deo materiæ posse, quin destruatur materiæ essentia, vegetationem, motum &c., utique verum est quamdiu intelligatur motuum, & virium caussam exteriorem esse corporibus, & corpora in hisce motibus passive tantum se habere, quatenus scilicet, quum ex se inertia, & indifferentia sint ad hunc potius, quam illum locum occupandum, possunt ab exteriori principio aliquo de loco in locum transferri;

ferri: Ad hoc vero ut materies cogitet active se habere debet, debet producere rerum ideas, separare, conjungere, alias ex aliis derivare &c., id quod inertiam materiæ tollit, ac destruit. Quod deinde subdit Deum posse substantiam aliquam materialem creare in statu perfectæ inactivitatis, quæ nullam proprietatem respuat, aut exigat, & cui propterea cogitatio adjungi possit, debet negari: Debet quippe ea substantia, in facta hypothesi, quod sit, contrarias essentiæ suæ proprietates, actionem quamlibet, cogitationemque ex se respuere. Quod tertio congerit Deum posse materialem substantiam a ratione materiæ separare, in substantiam immaterialem convertere, donare vi cogitandi, & non ablata cogitatione huic substantiæ per suam omnipotentiam restituere eidem posse, quod demerat; rationem scilicet ipsam materiæ, id inquam claudicat undique, cum falsum sit ablata materiæ ratione substantiam materialem converti in immaterialem, atque immaterialem, & cogitantem substantiam

salva

ſalva cogitandi vi, & facultate poſſe inmaterialem converti. Ad minimum id erat illud, quod probandum Lockio incumbebat, quodque tot argumentis ducti nos inficiamur.

Quæ ex brutis eruitur difficultas, neſcio cur tanta apparuerit Domino De Voltaire. Aut enim ſunt pura automata, aut ſi vere intelligunt, cogitant, & volunt bruta alia ipſis ſubſtantia immaterialis eſt adjicienda. At imponamus demum diſſertatiunculæ toti finem, & quæ hactenus dicta ſunt perſtringentes, adjicienteſque alia his analoga, eo exponamus modo, quo plenior contradicendi, & dicendi copia in Philoſophica concertatione fiat.

CONCLUSIONES

LOGICO-METAPHYSICÆ.

I.

NAturali ratione adverſus Atheos oſtendi poteſt Deum exiſtere.

II.

II.

Eadem contra Gentiles demonstratur Deum esse unicum.

III.

Et adversus materialistas Deum materialem esse non posse evincitur.

IV.

Deus est omnipotens, ita tamen ut, quæ absurda, impossibilia, & contradictoria vere sunt, efficere nequaquam possit.

V.

Neque potest prima, & generalia principia falsa reddere: Unde, quæ scientia Metaphysica dicitur, apud nos datur.

VI.

Cum ergo contradictionem aperte involvat materiam cogitare, neque ab ipso Deo omnipotenti fieri poterit, quod cogitet.

VII.

Insulsa porro, atque infirma videntur nobis ea omnia Lockii argumenta, quibus ipse dubium, ac tenebras in perspicuo theoremate voluit offundere.

VIII.

Præter Deum Angelos etiam bonos, malosque existere ex fide certum supponimus.

IX.

Angelorum malorum potestatem in corpora ex naturali ratione investigantes, statuimus non posse eos ad nocturnum, ut vocitant, congressum transferre Lamias, nisi plura alia occurrant simul Phœnomena, quæ cum minime habeantur, congressus ipse commentitius merito censeri debet.

X.

Alia insuper vanitatis hujus congressus indicia sunt; potissimum quod quæ

La-

Lamiæ ad congressum transferri sese jactabant, eo ipso tempore, quantum observari hactenus potuit, minime ex propriis cubiculis sunt egressæ.

XI.

Nitimur vero explicare aliquo modo hos omnes Lamiarum visus, & ex sola imaginationis vi derivare.

XII.

Supponimus etiam ex sacris litteris, & ex veteri testamento satis constare Magos, & Maleficos homines ante Christi Domini adventum vere extitisse.

XIII.

Tum ejusdem Scripturæ, & Sanctorum Patrum authoritate freti negamus extitisse eos post Christi adventum.

XIV.

Ex tot iis Magicarum artium prodigiis, quæ passim narrari solent, alia mere naturalia esse volumus, alia prorsus imagina-

gina-

ginaria, alia tantum ſuppoſita:

XV.

Immerito autem hacce in re nobis imponunt cum Martino Del Rio alii Magicarum artium aſſertores, dum integræ antiquitatis conſenſum nobis contrarium eſſe objiciunt.

XVI.

A Deo, & ab Angelis ad animam convertentes orationem noſtram ſtatuimus, quod, quamdiu corpori conjuncta eſt, ſenſibus tuto uti poteſt ad veritatem inveſtigandam.

XVII.

Id vere in iis rebus dumtaxat valere volumus, quæ ſenſibus immediate ſubjectæ ſunt: In reliquis optima veritatis regula, & criterium eſt idea clara, & diſtincta.

XVIII.

Idea Dei, prout eſt in nobis, facile

admodum ex rerum ſenſibilium contemplatione aſſequi, & hauriri poteſt.

XIX.

Unde immerito ſtatuit Carteſius eam eſſe ingenitam.

XX.

A fortiori neque aliæ nobis ſubſtantiæ, corporis, veritatis, bonitatis, perfectionis &c. ideæ, a prima creatione inditæ, & impreſſæ ſunt.

XXI.

Oſtendimus porro quanam ratione omnes ex ſola mentis reflexione, & ſenſibilium rerum aſpectu habeantur.

XXII.

At neque aliæ ideæ practicæ, & prima moralia principia eſſe ingenita cum Cl. Herbertio dici poteſt.

XXIII.

Non excitantur in nobis ideæ per con-

conversionem ad Phantasmata, ut olim Peripatetici ludrice magis quam vere contendebant.

XXIV.

Nulla pariter est Dei, & animæ physica, & naturalis conjunctio, ex qua cum P. Malebranchio deduci possit nos omnia intelligere per solam conversionem ad Deum.

XXV.

Alia insuper sunt, quæ subtilissimi Metaphysici hypothesim absurdam faciunt, & impossibilem.

XXVI.

Excuduntur itaque ab anima singulæ ideæ propria, & ingenita a Deo vi, neque sunt aliud nisi modi ab eadem anima realiter non distincti.

XXXVII.

Et aliæ quidem, ut optime adnotavit Lockius, per reflexionem mentis ad

ſe ipſam , aliæ occaſione ſenſationum , & ſenſibilium rerum excuduntur .

X X V I I I.

Senſationes inchoantur utique , non vero abſolvuntur penitus in externis partibus noſtri corporis .

X X I X.

Sed habentur exinde tantum , quod extimæ nervorum partes ab objectis ſenſibilibus percellantur , immutenturque , tum hæc ipſa immutatio ſpirituum animalium ope ad communem nervorum originem deferatur .

X X X.

Quod cum per ſolum ſpirituum eorumdem motum præſtari poſſit, nulla eſt neceſſitas , quod ullos nervorum tremores cum Argenterio ad ſenſationes explicandas comminiſcamur .

IMPRIMATUR

Die 18. *Maji* 1754.

F. Jo. Christ. Gerosa O. P. S. Th. Prof., nec non S. Off. Mediol. apud Rosam Pro-Commiss.

J. A. Vismara pro Emin., & Rev. D. D. Card. Archiepiscopo.

Vidit Julius Cæsar Bersanus pro Excell. Senatu.


BIBLOS
Firenze

